

.xi. OMELIA IN NATALE INNOCENTUM .

GLorificare oportet et honorare hanc solemnita  
tem beatorum ac felicium infantium fratres karissimi . quorum  
hodie triumphalem passionis gloriam caelebramus . quos  
herodes sacrilegus postquam fefellerunt eum magi ab o  
riente uenientes adorare dominum . pro christo iussit occide  
re . Meditabatur enim multum cupiens per dolositatem . Inter  
eos iesum inuenire ad interficiendum . sed quoniam cura illi  
erat de amministrantibus domini sui ; Apparuit angelus  
in somnis ioseph dicens . Surge et accipe puerum et ma  
trem eius et fuge in ægyptum . et esto ibi usque dum dicam  
tibi . Futurum est enim ut herodes querat puerum et per  
dendum eum . [.ii.] Qui consurgens statim accepit puerum  
et matrem eius . et secessit in aegyptum . et erat ibi usque ad  
obitum herodis . ut adimpleretur quod dictum est a domino  
per prophetam dicentem . Ex egypto uocauit filium meum .  
Hanc quidem fugam longe ante isaia prophetauerat  
dicens . Ecce dominus ascendet super nubem leuem et ingredi  
etur in aegyptum . et conterentur simulacra ægypti  
ante conspectum eius . [.iii.] Hæc nub`e's leuis corpus sanctæ ma  
rie uirginis est quod quia sine peccato semper fuit leue  
reputatur . super cuius igitur humerum christus deportatur  
est in aegyptum . De qua dictum est . Erunt quinque  
ciuitates in terra aegypti . et una ex illis uocabitur ciuitas  
/20r/ solis . Uere ciuitas solis est illa ciuitas . In qua iesus christus in  
habitauit qui est uerus sol iustitie . [.iiii.] In illa igitur ciuitate  
quæ hieropolis uocatur . in nocte aduentus domini in eam . com  
minuta sunt omnia . et ad nihilum redacta sunt idola . Haec  
autem fuga iesu in aegypto . significat spiritualiter christum ad

gentes iturum esse ut crederent in eum . In qua etiam per  
quattuor expectauit annos . iuxta preceptum patris loquen  
tis ad eum . Esto ingentibus donec omnes credant . Tunc  
autem herodes cruentus cum cognouisset quod inlusus esset .  
a magis nolentibus iesu iratus est ualde . [.v.] Et mittens minis  
tros suos occidit omnes pueros . qui erant in bethleem et in om  
nibus finibus eius a bimatu et infra . secundum tempus quod  
exquisierat a magis . Hii autem pueri a bethleem et de omnibus  
finibus eius usque ad duo milia congregati . In campis ui  
ginti constituti sunt . et in uno quoque campo . centum post ea  
interfecti sunt . et non solum duodecim dierum uel unius  
anni infantes sed a pueru duorum annorum usque ad puerum  
unius noctis occisi sunt . [.vi.] Quærendum est autem quare sub  
hac temporis mensura rex crudelis occidit pueros . id est  
ut christus inter innocentes filios occideretur . Nonne rex  
iniquus nouerat quod regi et deo nascenti possibile erat .  
utrum cresceret in breui tempore . et oculis omnium  
quasi unius anni uel duorum puer appareret . aut crescens  
in paruitate corporis se caelaret . Ideo autem sub hac con  
ditione temporis omnes<sup>1</sup> occidit pueros . siue quia magi  
post annum a natuitate domini ab oriente aduenerant et per  
annum alterum quia diu expectauit eos ualde iratus . istos  
occidit infantulos . [.vii.] Refulgent igitur isti in regno dei  
/20v/ figuram omnium sanctorum tenent̄ es . quia ipsi sunt primitiui mar  
tyrum . quoniam statim post aduentum domini in carne coronam  
martyrii meruerunt et uictoriae . ante petrum et paulum .  
et ante omnes martyres . Ideo dominus multum delectatur . comi  
tatu iustorum et innocentia . uirgines enim sunt et sequuntur  
eum . quocumque ierit . De quorum persona in aeuangelio dicit .  
Sinite paruulos uenire ad me et nolite prohibere eos . talium  
est enim regnum caelorum . Et iterum . Nisi conuersi fueritis

et efficiamini sicut paruuli . non intrabitis in regnum celorum .  
Id est si non tales sitis innocentes sicut infantes . regnum  
celorum non possidebitis . [.viii.] Iuxta igitur paruulorum exemplum .  
prouocat nos ad se christus . Hos enim sibi elegit dominus . quorum in .  
nocentiam puram et mundam esse cognoverit sicut paruulorum .  
Paruulus enim simplicitate ambulat et innocenter . non de  
lectatur deliciis mundi . nec mulierum pulchritudine<sup>2</sup>  
non est ambitiosus . nulli inuidet . numquam cogitat malum .  
Horum igitur fratres karissimi qui hodie pro christi nomine sanguinem  
suum fuderunt . solemnitatem et letitiam uoluntarię célébre  
mus . ut nos mereamur malitia esse paruuli . sensibus autem  
perfecti . et prudentes sicut serpentes . Uigilantes assidue  
circa gemmas in capite suo positas . et simplices a malo sicut  
columbae . Isti sunt enim qui ante tempus martyrii effecti  
sunt martyres . et ante baptismum baptizati sunt . Si quis autem  
dicat quomodo baptizati sunt ; respondebimus ei . sicut bap  
tizatus est abraham et isaac et iacob et omnes sancti . qui ante  
aduentum domini nostri iesu christi plena fide et bonis operibus placu  
erunt deo et sicut baptizatus est ille latro in cruce qui credi  
dit in iesum cui dicitur a domino . Amen dico tibi . Hodie mecum  
/21r/ eris in paradiso . quibus certissime omnibus uera fides pro baptismo  
erat . Isti sunt autem infantes qui lauerunt stolas suas et candidas  
eas fecerunt in sanguine agni . et sequuntur agnum quocumque  
ierit . Id est iesum christum filium dei per omnia regna celorum sequuntur .  
et canticum nouum canunt . Quod nemo cantare potest de  
his qui cum mulieribus se miscuerunt . et nullus locus illis prohibetur  
in regno dei . in quo non possent intrare . Obsecramus ergo  
fratres karissimi . ut licet mentis coæquari illis non possumus . eorum inter  
cessionibus in numero sanctorum consortes esse mereamur in regnis  
caelestibus . Largiente domino nostro iesu christo . qui cum patre et spiritu  
sancto uiuit et regnat . in secula seculorum . amen .

<sup>1</sup> omnes] *corr. from* omnis

<sup>2</sup> pulchritudine] MS pulchritutudine